

ARTICULUS II.

Refutatur Pantheismus generatim inspectus.

43. Quamquam Pantheismus evidenter pugnet cum rationis principiis, atque adeo fusiora refutatione non egeat, non enim requiritur ad aliquam scientiam, ut inducat rationem contra opiniones manifeste falsas et improbables, nam quolibet proferente contraria opinionibus Sapientis, sollicitum esse stultum est, ut dicitur primo Topicorum (1); nihilominus operæ prætium esse ducimus præcipuas rationes congerere, ut omnium animi a turpissimo hoc veneno arceantur, quod eheu! injuria nostrorum temporum latissime serpit, non sine dedecore generis humani. Ordo autem confutationis hic erit, ut in primis Pantheismum generatim spectatum, deinde tres formas illius nuper indicatas singillatim aggrediamur.

PROPOSITIO. Pantheismus generatim spectatus absurdissimus est summeque perniciosus.

Prima pars. Pantheismus est absurdus.

Prob. 1.^o Commune hoc est Pantheistarum principium, non esse in rerum universitate nisi unicum substantiam, sive illa vocetur *suprema unitas* cum Jordano Bruno, sive *τὸ Εγὼ purum* et *absolutum* cum Fichtio, sive *Absolutum et identitas universalis* cum Schellingio, sive *Idea* cum Hegelio, vel quocumque tandem alio nomine appelletur. Atqui unitas substantiæ in toto mundo contradicit tum externæ tum internæ experientiæ, tum communi sensui totius generis humani. Ergo...

Minor probatur. Nam ut superius ostensum est contra Monistas, externa experientia ubique deprehendit multipliciter substantiarum. Interna vero non solum testatur existentiam plurium affectionum in nobis, quæ necessario postulant objectum ac terminum externum, ut ibidem notavimus: sed præterea vividissime renuntiat nobis tum propriam personalitatem, tum etiam imbecillitatem ac miseriam.

(1) S. Thom. 1.^o *Physicor.* loc. 2, parag. 4.

Impossibile ergo est nos esse aut modos Dei aut effluvia divinæ naturæ. Itaque tam est evidens ex ipso experientiæ testimonio pantheisticæ doctrinæ absurditas, ut qui eam amplectatur, si constare sibi velit, universalem scepticismum profiteri debeat.

Dicent fortasse Pantheistæ 1.^o multipliciter cerni in mundo dumtaxat in accidentibus, non vero in substantiis: 2.^o substantiam quidem esse immutabilem, infinitam et simplicem, sed mutationem, limitationem compositionemque accidere in modis illius unice substantiæ: 3.^o mutationes has, quæ ratione accidentium adveniunt substantiæ, penitus extrinsecas ipsi esse.—Verum resp. ad 1.^{am} negando assertum, est enim evidens adesse in mundo multas substantias. Id testatur experientia in primis; et ratio etiam docet, nam dantur procul dubio accidentia, quæ pugnant inter se, qualia sunt accidentia spiritualia et corporea, figuræ diversæ, proprietates physiciæ oppositæ. Hujusmodi certe accidentia repugnat esse in eodem subjecto simplici. Ergo vel sunt in seipsis contra naturam accidentium, vel sunt necessario in diversis substantiis. Ad 2.^{am} pariter respondeo negando absurdissimum assertum. Primo quia substantia immutabilis et infinita nullam potest subire mutationem intrinsecam et veram, nullaque accidentia. Deinde si quas subiret affectiones modosve aut accidentia, deberent hæc certe ejusdem ordinis esse cum substantia; ideoque si substantia est spiritualis, nequit corporeis affici accidentibus, nec spiritualibus si corporea sit ipsa. Denique ad 3.^{am} dico, vel hi modi et accidentia identificantur cum substantia, vel non. Si identificantur: ergo nequit limitatio, compositio ac mutabilitas poni in accidentibus, quin eo ipso inducatur etiam in substantia. Si vero distinguuntur, vel physice uniantur cum substantia, vel non. Si non uniantur, sunt in seipsis, ac desinunt esse accidentia. Si uniantur, adventu vel recessu vel mutatione illorum procul dubio substantia ipsa intrinsece mutatur.

Prob. 2.^o Pantheismus innumeris scaturit contradictionibus. Ergo absurdus est.—Antecedens patet. Contradictorium quippe, est quod unum idemque ens sit infinitum secundum essentiam et finitum, a se et ab alio, simplex et compositum, necessarium et contingens, immutabile et mutationibus innumeris obnoxium, spiritus et corpus, actus purus et ens

potentiale. Atqui Deus est ens a se necessarium, infinitum, immutabile, simplex, spirituale actusque purus, ut nunc supponimus, et certo demonstratur in Theologia lumine naturali; mundus vero est ens ab alio, contingens, finitum, mutabile, compositum, corporeum et potentiale, quemadmodum constat ex superius dictis. Ergo systema Deum confundens cum mundo plurimis contradictionibus scatet (1).

Prob. 3.^o Hinc sequitur aliud absurdum Pantheismi, quod est atheismus. Nam ponere Deum contradictoriis constans prædicatis, est revera nullum ponere Deum. Immo eo periculosiorem atheismum inducit Pantheismus, quo facilius irretire valet incautos specie cujusdam pietatis in Deum, cum videri prima fronte possit imperitis divinam perfectionem maxime commendare. Enimvero quis reperitur inter atheos, qui Deum admittere detrectet; si nullus sit Deus ab hoc mundo distinctus? Tota enim controversia cum atheis versatur circa existentiam alicujus entis a se ac necessarii, quod sit causa prima et a rerum omnium contingentium congerie distinguatur. Nihil ergo mirum, si Pantheistæ impietate contemptuque religionis eminerint. Pantheismum professus est Tolandus, idemque fuit unus ex primipilis atheismi et impietatis sæculo proxime elapso. Fichte athismi accusatus fuit, ab eaque labe ut se purgaret librum conscripsit (2); Schopenhauer Philosophiam atheologicam esse oportere arbitratur, quia nihil ratio de Deo scire valet (3), Saintsimoniani denique non verentur dicere, *quidquid non est atheismus, esse ignorantiam et superstitionem* (4). Quid vero de Deo, deque cultu et religione senserit Cousinus, ex præmissa doctrinæ ejus expositione liquido patet.

Prob. 4.^o Pantheismus inducit fatalismum atque omnem libertatem, tum divinam tum humanam, pessumdat, et consequenter etiam providentiam Dei. Constans est enim apud omnes pantheistas hoc dogma, omnem rerum multipliciter

(1) Cfr. S. Thom., 1.^a *Contr. Gent.* cap. 19, 20 seqq., et cap. 26; itemque lib. 2.^a cap. 49.

(2) Card. Gonzal. *Hist.* t. 4, parag. 3.

(3) Gonzal. *ib.* t. 4, parag. 27.

(4) Perrone, *Prælect. theolog.* vol. 4, *De Deo*, pars 2, cap. 2, prop. 3, n. 237 in nota.

ab una substantia procedere per necessariam emanationem vel evolutionem. Atqui certum est, suoque in loco demonstratur, tum Deum in omnibus actionibus ad extra, tum etiam hominem in plurimis actionibus, immunem esse ab omni necessitate. Ergo...

Prob. 5.^o Denique Pantheismus ecclesiastica sententia damnatus est. Etenim *Sancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cæli et terræ omnipotentem, æternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, prædicandus est re et essentia a mundo distinctus* (1). Et similia habentur in *Syllabo errorum* edito jussu Pii IX (2). *Quare si quis dixerit, unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit* (3). Et *si quis dixerit, res finitas tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse: aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distincta, anathema sit* (4).

Probatur 2.^o pars propositionis: *Pantheismus est summe et perniciosus*.

Jam exposuimus nuper vitium atheismi, quo turpatur Pantheismus: quo quid perniciosius esse potest? Verum pergamus ad alia.

α) In ordine *speculativo*, Pantheismus: 1.^o inducit ruinam Fidei divinæ ac revelatæ religionis, quæ passim docet, aut supponit distinctionem inter Deum ac mundum, Creatorem et creaturas, Redemptorem et redemptos peccatores, inter summum omnium Parentem et Ecclesiam ab eo fundatam ad salutem animarum, inter spiritum et corpus, inter ordinem denique naturalem et supernaturalem. 2.^o Pantheismus perimit omne discrimen inter honestum ac turpe, et

(1) Concil. Vatic., *Constitut. dogmatica de Fide Catholica*, cap. 1.

(2) Num. 1.

(3) Concil. Vatic. *ibid.* in Canonibus, parag. 1, can. 3.

(4) *Ibid.* can. 4.

consequenter omnem moralitatem, rationem meriti et demeriti, spem præmiorum timorèinque pœnarum: omnes quippe actiones hominis docet esse actiones ipsius Dei fatali quadam necessitate peractas, transformationes ac manifestationis Dei, qui certe nec argui de peccato potest, nec supplicio aliquo puniri. Hac porro persuasione hærente in animo, innumera mala consequi necesse est.

β) *In ordine practico.* Nam Pantheismus logice procedendo evertit hominis officia erga Deum; quia religionem reddit impossibilem, utpote quæ necessario postulat duos terminos, alterum qui defert, alterum qui recipit adorationem et obsequium. Nemo quippe sibi ipsi reverentiam cultumque debet exhibere, immo nec potest, si libertate careat, quemadmodum contendunt Pantheistæ. Præterea quis, quæso, amabit Deum, qui nescit succurrere malis nostris? Quis obtemperabit mandatis illius Dei, qui ne se quidem ipsum cognoscit, nisi per hominem, cujus homo est perfectissima evolutio et manifestatio, qui proinde independenter ab homine nullum actum rationalem elicere potest? Quænam ergo esse potest in Pantheismo religio, si forte idololatricum naturæ aut sumeti ipsius cultum excipias? Deinde Pantheismus evertit omnia hominis officia erga alios, inducitque perfectissimum egoismum. Si enim unica datur substantia, eaque ferreo fatalismo subjecta, ubinam erit amor et beneficentia proximis debita? Ubinam obedientia et reverentia regibus, parentibus, sacerdotibus ac majoribus exhibenda? Ubinam justitia? Ubinam societas ipsa et ordo socialis? Ubinam leges legumque observantia? Evertit denique hominis erga seipsum officia. Nam sublata libertate humana et inducta fatali necessitate, qua unica illa substantia dicitur a pantheistis seipsam evolvere, nemo vitia horrebit, cavebitque, nemo sibi vim ullam faciendam esse existimabit, pravos affectus compeciendo; quin potius omnes arbitrabuntur se ad laxandas habenas cupiditatibus suis teneri, ea persuasi opinione, omnes tandem actiones, omnia vel turpissima crimina Dei esse opera, divinitatisque manifestationes et evolutiones necessarias.

Hæc sunt corollaria logica Pantheismi, quæ quamvis non semper ab hujus erroris professoribus in praxim deducta fuerint, ipsa refugiente natura et ingenito sensu moralis,

nostris tamen temporibus tamquam totidem principia normæque morum proclamata fuere ab Hegelianis *indefiniti progressus* patronis, et a Saintsimonianis. Clamant nimirum hi sanctissimi viri *redemptionem carnis*, quam misere reductam in servitutem esse per Evangelii prædicationem impie effutiunt, voluntque in plenam jurium suorum possessionem restitui; humanitas quippe est evolutio Dei, incarnatio Dei, qui æque manifestatur per spiritum et materiam. Satis ergo hactenus datum spiritui cum materie detrimento totque miseri corporis afflictationibus, nunc indulgendum carni etiam esse, et explendas harmonice facultates et cupiditates omnes. Verum hæc innuisse sufficiat. Vide cl. P. Perrone (1), et Revm. Dnum. Maret (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

44. *Objic. 1.^o* Datur aliquid ens infinitum. Atqui præter infinitum nulla alia realitas esse potest. Nam ipsum omnem realitatem comprehendat, necesse est. Ergo.

Resp. Cons. Major, dist. Minor. Præter infinitum nulla alia realitas esse potest, cujus perfectio aliquo modo in illo non contineatur, *conc.*; secus *neg.* Et *contradist. Minor.*

Probationem minoris pariter *distinguo.* Infinitum comprehendere omnem realitatem debet in hoc sensu, ut omnem

(1) *Prælection. Theolog.* vol. 4. *De Deo uno et trino*, pars. 2, c. 1, prop. 3, n. 236, 237 cum suis notis.

(2) *Essais sur le Panthéisme*, ch. 5.—Que cum ita sint, recte Jacobus Balmes postquam pluribus argumentis Pantheismum impugnasset, in hæc verba indignabundus erupit. «Al examinar tamaños extravíos, parece que nos hallamos en medio del antiguo caos, cuando no había luz, cuando todos los elementos andaban confusos y revueltos en medio de espantosas tinieblas. Quién ha resucitado en algunas escuelas modernas esas extravagancias de otras antiguas? Quién ha soplado ese vértigo sobre las cabezas de algunos filósofos en Alemania y en Francia? Ah! los hombres marchaban en paz bajo las ideas cristianas; y el orgullo, levantando su cabeza, ha negado la obra de Dios y ha querido escalar el cielo; desde aquel momento han renacido los errores que yacían sepultados en el polvo de las ruinas paganas; y la Europa ha visto con asombro y consternación proclamarse en alta voz los mayores delirios». *Filosofía elemental*, cap. 10, sección 5.^a fin.

ejusvis possibilis entitatis perfectionem aliquo modo, sive formaliter, sive eminenter, sive virtualiter possideat, *conc.*; in hoc sensu, ut nullam aliam realitatem, nullum aliud ens præter ipsum existere patiatur, *neg.* Et solutio per se patet (1).

Instabis 1.^o Infinitum est ipsum *esse*. Atqui *esse* complectitur omnia. Ergo infinitum omnem comprehendit realitatem, quatenus nullum aliud ens præter ipsum existere patiatur.—**Resp. dist.** Major. Infinitum est ipsum *esse* subsistens, *conc.*; est ipsum *esse* abstractum, respondens communissimo conceptui entis, aut *esse* formale rerum omnium, *neg.*

Contradist. Minor. *Esse* abstractum est *esse* formale rerum omnium, *trans:* ipsum *esse* subsistens, *subdist.*, ut in responsione ad præcedentem difficultatem. Transmissi autem primum membrum Minoris, quia *esse* formale rerum non est unum reapse, sed multiplex, ut constat ex dictis in *Logica* circa naturam universalem, et in *Ontologia* (2); non est autem unum nisi abstractione mentis, ideoque non potest continere omnia sub sua comprehensione, sed solum sub extensione, quia est prædicabile de omnibus.

Instabis 2.^o Infinitum est *esse* formale rerum omnium. Infinitum enim nequit esse tale, si quid eo majus ac perfectius cogitari possit. Atqui nisi infinitum sit ipsum *esse* formale rerum omnium, aliquid eo majus cogitari poterit, nempe complexus et summa ipsius infiniti et *esse* formalis reliquarum rerum. Ergo...

Resp. dist. Major. Infinitum nequit esse tale, si quid eo majus excogitari possit *intensive* et secundum valorem perfectionis, *conc.*; si quid majus cogitari possit solum *extensive* et secundum numerum entium perfectionem aliquam habentium, *neg.*

Et **contradist.** Minor., *neg.* conseq. Si præter substantiam infinitam existant alia entia, aderunt quidem plura subjecta *esse* ac perfectiones habentia, non vero summa perfectionum major, quam si sola existeret substantia infinita, utpote quæ in sua simplicissima entitate actum continet omnis possibilis

(1) Cfr. dicta in *Ontologia*, n. 191.(2) *Ontolog.*, num. 17.

perfectionis. Quemadmodum si plures adsint Mathesin calentes, non habebitur major scientia mathematica, quam si unus dumtaxat adsit, supposito quod hic unus, quidquid ad illam scientiam pertinet, perfectissime cognoscat.

Instabis 3.^o Majus aliquid est etiam intensive possidere omnem perfectionem possibilem formaliter, quam alias formaliter, alias vero solum virtualiter et eminenter. Atqui substantia infinita plures perfectiones continet virtualiter tantummodo atque eminenter. Ergo *esse* infinitum et *esse* formale aliarum rerum summam quamdam exhibent etiam intensive majorem. Major declaratur exemplo. Nummus aureus continet quidem eminenter valorem argentei; et nihilominus summa aurei et argentei magis valet, quam solus aureus.

Resp. neg. Major. et suppositum ejusdem; quia ens possidens formaliter omnem possibilem perfectionem, est omnino chimæricum, quippe quod deberet in se complecti simul etiam perfectiones invicem pugnantes, v. g. corporis et spiritus, rationalitatis et irrationalitatis etc. Tum nego paritatem exempli in confirmationem adducti. Ratio enim, cur nummus aureus simul cum argenteo plus valeat, quam solus, est quia nummus argenteus etiam independenter ab aureo suum proprium possidet valorem, et ideo unus valor alteri adjunctus majus quidpiam efficit. At vero quodvis aliud ens præter infinitam substantiam existens, totam suam perfectionem ac realitatem ab illa participet, necesse est, et independenter ab illa nihil est. Ob similem etiam rationem auctoritas regis et magistratuum inferiorum sub ipso rem publicam administrantium non excedit auctoritatem solius regis; nec scientia discipuli simul cum scientia magistri, a qua suam omnem ille hauserit, major esse valet unius magistri scientia. *Bonum creatum*, inquit Angelicus, *se habet ad bonum increatum, sicut punctum ad lineam, cum nulla sit proportio unius ad alterum. Unde sicut lineæ additum punctum non facit majus, ita nec bonum creatum additum dono increato facit melius. Vel etiam quia lota ratio bonitatis omnium bonorum est in Deo: unde et ipse dicitur omne bonum; unde non potest sibi fieri additio alicujus boni, quod in seipso non sit* (1).

(1) 3.^a Dist. 6, q. 2. a. 3 ad 1.^{um}

Instab. 4.^o *Esse*, cui nulla fit additio, est *esse* formale rerum omnium. Atqui *esse* infinitum est *esse*, cui nulla fit additio. Ergo...

Resp. dist. *Esse*, cui nulla fit additio, quia nimirum mente *præscindit* ab omni additione, est *esse* formale rerum omnium, *conc.* *Esse*, cui nulla fit additio, quia cum sit plenitudo essendi, non patitur ut quidpiam sibi addatur, est *esse* formale rerum omnium, *neg.* Et *contradist.* Minori, *neg.* conseq.

Objic. 2.^o Si Deus differt a mundo, nequit esse infinitus, sed limitibus necessario circumscribitur. *Nam quod ita est hic, quod non alibi, est finitum secundum locum. Ergo quod ita est hoc, quod non est aliud, est finitum secundum substantiam* (1). Itaque nisi Deus sit ipsa universitas ac totalitas rerum omnium, necessario finitus dicendus est.

Resp. neg. assert. Ad probationem. *conc. ant., neg. cons.* Etenim *ex hoc ipso, quod esse Dei est per se subsistens, non receptum in aliquo, prout dicitur infinitum, distinguitur ab omnibus aliis, et alia removentur ab eo. Sicut si esset albedo subsistens, ex hoc ipso, quod non esset in alio, differret ab omni albedine existente in subjecto* (2). Unde nulla est paritas inter infinitatem secundum locum et infinitatem secundum esse. Nihil enim potest esse infinitum secundum locum, si non sit ubique, sed adsint spatia, quibus illud non se sistit præsens; potest autem aliquod ens individuum esse infinitum, etiamsi alia quoque entia existant ab illo producta, dummodo ens illud omnem quancumque perfectionem in linea entis possibilem contineat. Immo ens, quod in sese complecteretur esse formale rerum omnium, non posset esse unum per se nec infinitum, utpote coalescens perfectionibus invicem pugnantibus.

Instabis. Quidquid ab alio differt, limitibus circumscribitur, cum careat differentia, per quam ab illo secernatur. Ergo si præter Deum aliquid ab eo diversum admittitur, eo ipso negatur infinitas Dei.—**Resp. neg.** Pone enim unum illorum esse purissimum actum essendi omnisque perfectionis, alia vero limitata, et jam habebis illa perfectissime distingui (3).

(1) Apud S. Thom., 1 p., quest. 7, art. 1, arp. 3.^o

(2) S. Thom., 1 p., q. 7, a. 1 ad 3.^{um}

(3) Vide S. Thom., *de Pot.*, q. 1, a. 2 ad 7.^{um}

Objic. 3.^o Conceptus nostri, oportet, si veri sint, ut naturis ipsis rerum respondeant, et conformentur. Atqui mens nostra in omnibus concipit unam quandam abstractissimam et communissimam rationem entis ac substantiæ. Ergo unica necessario est agnoscenda substantia, quæ sit substratum rerum omnium, quæque varie afficiatur ac determinetur per diversos modos essendi.

Resp. dist. Major. Conceptus debent respondere naturis rerum quoad id, quod iisdem repræsentatur, et cognoscitur, *conc.*; quoad modum, quo repræsentatur, et cognoscitur.

Contradist. Minor. Mens concipit unam quandam rationem entis et substantiæ unitate intrinseca et reali, *neg.*; extrinseca et rationis, *conc.* Et *neg.* consequens in sensu intento a Pantheistis. Rectissime namque scripsit S. THOMAS pantheisticorum aliorumque similium, quos refert, errorum unum videri esse *principium et fundamentum, quo destructo nihil probabilitatis remanet. Plures enim antiquorum ex intentionibus intellectus iudicium rerum naturalium sumere volunt. Unde quacumque inveniantur convenire in aliqua intentione intellecta, voluerunt, quod communicarent in una re. Et inde ortus est error Parmenidis et Melissi, qui videntes ens prædicari de omnibus, locuti sunt de ente sicut de una quadam re, ostendentes ens esse unum, et non multa, ut eorum rationes indicant in 1.^o Physicor. recitate* (1).

Instabis. Ratio illa una entis et substantiæ, quam concipimus, præsefert characteres substantiæ infinite. Est namque æterna, increata, infinita, necessaria. Ergo aliquid reale idem extra mentem respondeat, oportet.

Resp. neg. ant. et distinguo probationem: est æterna positive, *neg.*, negative, *transeat.* Item est increata præcisive, nimirum quia præscindit conceptus ille ab hoc quod ratio illa sit quippiam creatum vel increatum, *conc.*, est increata positive, *neg.* Est infinita extensive, id est, indefinita et prædicabilis de omnibus possibilibus entibus, *conc.*, intensive, *neg.* Denique est *necessaria* in essendo, *neg.*; quatenus exprimit aliquid necessario possibile, *conc.* Patent hæc ex dictis in *Ontologia* circa rerum essentias.

(1) 2.^o dist. 17, q. 1, art. 1 corp.

Objic. 4.^o Si præter et extra infinitum existerent entia finita, debuissent hæc ab illo produci. Hoc autem impossibile videtur. Quia secus in entia finita producerentur ab infinito, defectus quoque et limitationes illorum ab eodem procederent: non possunt autem defectus et limitationes procedere ab aliquo, nisi in eodem prius contineantur. Ergo si entia finita producerentur ab infinito, limitationes ac defectus in eo reperirentur, ac proinde non amplius foret illud infinitum.

Resp. *conc.* Major., *neg.* Minor.

Ad probation. *dist.* Major.: defectus et limitationes procederent ab infinito tamquam aliquid positivum, quod in entibus finitis reciperetur, *neg.*: quatenus illa non exprimerent totam perfectionem, quæ est in infinito, sed ab ea longissime distarent, *conc.*

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Defectus et limitationes atque imperfectiones non sunt formaliter aliquid positivum, sed negativum, unde nec possunt formaliter esse terminus actionis, nec debent reperiri in causa effectuum, in quibus illæ insint. E converso quidquid perfectionis ac realitatis est in entibus finitis, contineri aliquo modo debet in infinito.

Objic. 5.^o Deus est per essentiam suam in omnibus rebus. Atqui quod est per essentiam suam in aliquo, identificatur cum illo. Ergo...

Resp. *dist.* Major. tamquam aliquid spectans ad rerum omnium essentiam, *neg.*; quatenus ratione immensitatis præsens omnibus est, *conc.*

Et *contradist.* Minor; quod est in aliquo præsentiam suam ei exhibendo, *neg.*; quod est in aliquo tamquam spectans ad ejus essentiam, *trans.*

Objic. 6.^o Est in humana mente ineluctabilis tendentia revocandi multipliciter ad unitatem. Ergo naturalis hujusmodi et ineluctabilis tendentia nequit vana esse aut ad falsum adducere. Atqui vana foret, et ad falsum adduceret, si multipliciter rerum non haberet identitatem et fundum communem. Ergo... (1).

(1) Vide cl. P. De San, Op. cit. n. 54.

Resp. *dist.* ant. Mens ineluctabiliter tendit ad hoc ut multipliciter revocat ad unitatem principii seu originis et finis, itemque ad unitatem logicam per conceptus universales supposita reali similitudini diversarum rerum, *conc.*; ad unitatem realem, vel subjecti communis omnium *neg.*

Conc. primum conseq. Et *contradist.* Minor. subsumpta, *neg.* ultimum conseq.

ARTICULUS III.

Refutatur Pantheismus realis.

45. Quoniam realis Pantheismus sub varia forma propositus fuit, sive per emanationem, sive per compositionem substantialem, sive per evolutionem immanentem, oportet omnes hæc venenatas species singillatim expugnare.

PROPOSITIO 1.^a Pantheismus sub forma transsuntis emanationis propositus absurdus prorsus est.

Primo, quia secus divina substantia foret composita, divisibilis et corporea, ut patet, atque adeo mutabilis et finita in perfectione, quod blasphemum est vel mente cogitare.

Deinde quia secundum doctrinam emanationis non posset existere ullus spiritus: quare forma hæc Pantheismi revera inducit purum putum materialismum. Et re quidem vera substantia simplex et spiritualis nequit esse quasi effluviolum alterius substantiæ, aut quasi pars ex eadem decisa; sed aut est a se, aut necessario per veram creationem fieri debet. Adde quod ex substantia corporea et composita, qualis foret divina secundum hanc formam Pantheismi, derivari aut effici nequit spiritus, qui omni ente corporeo et composito præstantior est.

Præterea qualem monstrum putas futurum esse Deum in contrario systemate? Si enim omnia emanant transeunter a Deo, divina substantia continebit omnia. Jam quomodo continet ea? An quasi in semine et nondum evoluta? Sed tum res a divina substantia manantes, perfectiores forent in seipsis, quando evolverentur, ut fit in rebus ex semine nascentibus, quam cum intra Deum laterent.

Pantheistica
forma
transsuntis
emanationis
absurda est.

Et undenam, quæso, majorem illam perfectionem nancisceretur? An dices res a Deo procedentes contineri in illius substantia virtualiter, eo modo quo simplicia corpora continentur in compositis chemicis? Sed tunc productio et generatio rerum non fieret absque dissolutione et corruptione divinæ substantiæ, sicut ex aqua non educitur oxygenium aut hydrogenium, nisi corrupta aqua. Quis vero tantam blasphemiam ferat? Et quid est, quod hujusmodi corruptiones determinaret in illa substantia? An denique fingemus res, quæ quotidie de novo existere incipiunt in natura, contineri in divina substantia secundum propriam formam et essentiam, in qua postea permanet in seipsis, sicut continetur vapores ac minutissimæ guttulæ in aqua massa, unde divelluntur? At in ea hypothesi divina substantia (horribile dictu!) foret instar operis missivi aut potius instar acervi indigesti et confusi, qui ex tot rebus diversorum generum ac specierum in se coalesceret, quotquot sunt substantiæ mundum hunc adspectabilem conflantes. Quæ omnia ridicula foret, nisi abominabilem præ se ferrent impietatem.

Dices 1.^o entia creata dici et esse revera entia per participationem; si autem sunt per participationem, participare naturam Dei, a quo procedunt.—Verum respondeo, creatas res esse entia per participationem, quatenus fiunt a Deo tamquam a causa efficienti; non vero quatenus fiant etiam ex Deo, tamquam ex causa materiali. *Creaturæ* inquit Angelicus, *non dicuntur divinam bonitatem participare quasi partem essentia suæ, sed quia similitudine divinæ bonitatis in esse constituentur, secundum quam non perfecte divinam bonitatem imitantur, sed ex parte* (1).

Dices 2.^o Creatio ac vera productio cujuslibet rei repugnat. Ergo vel nihil de novo apparere potest in rerum natura, vel necesse erit emanationem ex divina substantia admittere. Et probatur antecedens. Quia quod creari vel produci de novo supponitur, vel prius continebatur in causa vel non. Si continebatur, non producit, sed tantum emanat. Si non continebatur in causa, deberet fieri ex

(1) S. Thom. 2.^o dist. 17, quæst. 1, art. 1 ad 6.^{um}

nihilo: ex nihilo autem nihil fit. Ergo.—**Resp. neg.** antec. et conseq. Ad prob. *dist* 1.^{um} part. Minor. Si continebatur formaliter secundum suam propriam entitatem, sicut pecunia in crumena, *conc.*, si tantum virtualiter, nempe in virtute et activitate causæ, *neg.* Ad 2.^{um} part. respondeo distinguendo alterum membrum; ex nihilo sui nihil fit, *neg.*, ex nihilo tum sui tum subjecti, *subdist.*; nihil fit virtute finita, *conc.*, ifinita, *neg.* Verum hæc patefient, cum ratio creationis declarabitur (1).

46. PROPOSITIO 2.^a Impium est asserere Deum esse animam formamve mundi, aut materiam primam.

Prima pars non multis eget. Nam si Deus foret anima mundi, haberet rationem formæ informantis, et veniret in compositionem cum ipso mundo. Atqui hæc impia et absurda sunt. Sic enim Deus desineret esse ipsum esse per se subsistens, et actus purus et ens simplicissimum ac nobilissimum omnium. Nam esse per se subsistens, sicut excludit causam, a qua sit, ita etiam non patitur subjectum, in quo recipiatur; si autem actuat subjectum, admixtam habeat potentialitatem, necesse est; at si actus purus ac sincerissimus non est, nec est perfectissime simplex, perfecta enim rei simplicitas in sua purissima sinceritate non solum respuit in se partes, verum etiam non admittit commixtionem cum alio ente; denique id quod alteri jungitur, eo ipso pars efficitur, atque ignobilius composito est (2).

Confirmatur ex incommodis, quæ dudum S. Augustinus urgebat: *Non enim ad hoc ingenii opus est excellentia ut deposito studio contentions attendant, si mundi animus Deus est* (idemque dicendum est, si Deus est mundi materia), *eique animo mundus, ut corpus est, ut sit unum animal constans ex animo et corpore, atque iste Deus est, sinu quodam naturæ in seipso continens omnia, ut ex ipsius anima, qua vivificatur tota ista moles, vite atque animæ cunctorum viventium pro cuiusque nascentis sumantur; nihil omnino remanere, quod non*

Impium
est asserere
Deum animam
mundi,

(1) Recole interea quæ dicta sunt in *Ontologia* circa effectus continentiam in sua causa, num. 385 et 390. *Axiom.* 4.^o

(2) Vide S. Thom. 1.^o *Contr. Gent.*, cap. 27.

sit pars Dei. Quod si ita est, quis non videat, quanta impietas et irreligiositas consequatur, ut quod calcaverit quisque, partem Dei calcet, et in omni animante occidendo, pars Dei trucidetur? Nolo omnia dicere, quæ possunt occurrere cogitantibus, dici autem sine verecundia non possunt (1). Si autem sola animalia rationalia sicut sunt homines, partes Dei esse contendunt; non video quidem, si totus mundus est Deus, quomodo bestias ab ejus partibus separet, sed oblectari quid opus est? De ipso rationali animante, id est homine, quid infelicius credi potest, quam Dei partem vapulare, cum puer vapulat? Jam vero partes Dei fieri lascivas, iniquas atque omnino damnabiles, qui ferre possit, nisi qui prorsus insanit? Postremo quid irascitur eis, a quibus non colitur, cum a suis partibus non colantur? (2) Quamobrem commentum hujusmodi statuens animas hominum esse partes Dei, catholica Fide damnari, scripsit S. Leo (3), damnatumque est in Concilio Bracharensi anno 563; idemque repudiatum est tamquam insaniam et amentiam a S. Joanne Chrysostomo (4), et omnino sacrilegum appellatum a S. Augustino (5).

aut materiam
primam.

Secunda pars iisdem probatur argumentis. Et confirmatur præterea, quia materia prima est pura potentia et imperfectissima omnium entitas: quæ sunt predicata e diametro opposita enti a se, quod est purus actus et infinita perfectione gaudet.

47. PROPOSITIO 3.^a Spinoziana forma evolutionis immanentis non solum ineptissimis argumentis ac sophisticata ratiocinatione innititur, verum etiam plura continet manifeste absurda et contradictoria (6).

Spinoziana
forma evolutionis
immanentis

Prima pars patebit ex solutione Spinozianæ argumentationis; quæ tota huic Substantiæ definitioni innititur: Per

(1) S. August. de Civit. Dei, lib. 4, cap. 12.

(2) S. Aug. ib. cap. 13.

(3) S. Leo, epist. 93 ad Turib. cap. 5.

(4) Homil. 13 in Genes.

(5) De Genes. ad litt. lib. 7, n. 3.

(6) Cfr. Card. Gerdil (Dell' Esistenza di Dio e delle immaterialità delle nature intelligenti, n. 13 segg.), Valsechi (Fondamenti della Religione, libr. 1, cap. 3, n. IX segg.).

substantiam intelligo id, quod in se est, et per se concipitur, hoc est id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat. Quæ subaudita definitione hæc statuitur a Spinoza proposito:

inceptis
ac sophisticata
rationalis
innititur.

Præter Deum nulla dari neque concipi potest substantia. Prob. 2) «Cum Deus sit ens absolute infinitum, de quo nullum attributum, quod essentiam substantiæ exprimit, negari potest (per Definit. 6.^{am}), isque necessario existat (per Prop. 12.^{am}); si aliqua substantia præter Deum daretur, ea explicari deberet per aliquod attributum Dei, sicque duæ substantiæ ejusdem attributi existerent, quod (per Prop. 5.^{am}) est absurdum; adeoque nulla substantia præter Deum dari potest, et consequenter non etiam concipi. Nam si posset concipi, deberet necessario concipi ut existens. Atqui hoc est (per primam partem hujus Demonstr.) absurdum. Ergo extra Deum nulla dari et concipi potest substantia. Q. E. D.» (1).

Resp. in primis *dist.* substantiæ definitionem. Substantia est id quod in se ac per se est, id est quod non indiget alio cui, tamquam subjecto inhæreat ad existendum, *conc.*; id est, quod non eget alio tamquam causa, a qua sit, *subdist.* substantia infinita, *conc.*, substantia generatim sumpta *neg.*, donec probetur a Spinoza vel ab aliquo alio: id quod certe non fiet in æternum.

Jam *neg.* Spinozianam propositionem.

Ad probationem. *concesso* priori membro, *dist.* alterum: si aliqua substantia præter Deum daretur, ea explicari deberet per aliquod attributum Dei, nempe per aliquod attributum quod aliquo modo, saltem analogice et eminenter, in Deo reperitur, *conc.*, per aliquod attributum, quod univoce ac formaliter aut per realem identitatem in Deo reperitur, *neg.*

Et *contradist.* assertionem, in qua id absurdum esse dicitur, *neg.* conseq. Vide ergo, quam putido sophismate conetur infelicitissimus auctor incautos decipere. Ex eo quod nihil possit esse, quod habeat perfectionem non præcontentam in Deo, id quod ambiguitate laborat, et verum est in aliquo

(1) *Ethic.* part. 1, prop. XIV, pag. 46.

sensu, falsum in alio; subaudito præcise falso sensu, concludit nullam esse posse præter Deum substantiam.

Altera probatio propositionis Spinoziana. Repugnat substantiam causari, sed necessario est ens a se. Atqui ens a se non est nisi unum, nempe Deus. Ergo præter Deum nulla datur substantia.

Major probatur 1.^o «Si substantia ab alio posset produci, ejus cognitio a cognitione suæ causæ deberet pendere (per Axiom. 4.^{am}), adeoque (per Defin. 3.^{am}) non esset substantia» (1). 2.^o «In rerum natura non possunt dari duæ substantiæ ejusdem attributi (per Prop. præced.), hoc est (per Prop. 2.^{am}), quæ aliquid inter se commune habent. Adeoque (per Prop. 3.^{am}) una alterius causa esse nequit, sive una ab alia non potest produci. Q. E. D.» Et probatur hoc ultimum conseq. per propos. 3.^{am} Spinozæ, quæ sic se habet cum sua demonstratione: «Quæ res nihil commune inter se habent, earum una alterius causa esse non potest. Demonstratur. Si nihil commune cum se invicem habent, ergo (per Axiom. 5.^{am}) nec per se invicem possunt intelligi, adeoque (per Axiom. 4.^{am}) una alterius causa esse non potest» (2).

Resp. neg. Major., ad cujus 1.^{am} probationem neg. illatum. Nam contra notionem substantiæ est quidem, ut cognitio ejus non pendeat a cognitione alterius, cui tamquam subjecto inhæreat, non tamen quod cognitio illius pendeat a cognitione alterius, a quo procedat tamquam a causa; ut patet ex alibi dictis.

Ad 2.^{am} probationem. *dist.* primum membrum antecedit. In rerum natura non possunt dari duæ substantiæ ejusdem attributi, identitate reali, *conc.*; identitate logica, *neg.* *Disting.* similiter alterum membrum antecedit: quæ aliquid inter se commune habent, communitate reali, *conc.*, communitate logica, *neg.* Tum *neg.* conseq.

Eodem pacto *disting.* probationem conseq. Quæ res nihil commune habent inter se communitate reali, *neg.*, communitate logica, sive univoca sive saltem analogica, *conc.* Quid, quæso, ineptius et inanitus hisce argumentationibus fingi

(1) Ibid. p. 38.

(2) Ibid.

potest, quæ totæ fundantur in falsissima definitione et confusione identitatis et communitatis logicæ ac realis?

Secunda pars. *Spinozianus pantheismus plura continet manifeste absurde et contradictoria.* Nam ut omitteremus absurditatem unicæ substantiæ, quæ est thesis Spinoziana;

1.^o Manifeste absurdum est in primis substantiæ notionem confundere cum notionem entis a se et causæ primæ. Id autem fecit Spinoza jam in ipsa definitione, qua substantia dicitur id, quod *in se* est, particulam illam *in se* accipiendi quasi idem valeret, ac *a se*, quemadmodum patet ex toto processu argumentationis.

2.^o Manifeste absurdum est conceptum effectus confundere cum conceptu accidentis vel modi, ut constat ex sensu communi omnium. Licet enim omne accidens sit ens ab alio atque adeo effectus, non tamen vicissim omnis effectus est accidens. Spinoza vero id supponit in tota sua ratiocinatione. Supponit nimirum omne id, quod alio quomodolibet indiget, ut concipiatur, et sit, rationem habere accidentis: id quod verum est tantummodo de iis, quæ alio indigent tamquam subjecto, cui inhæreant, non autem de iis, quæ alio indigent tamquam causa efficiente.

3.^o Manifeste absurdum est, excludere possibilitatem cujusvis actionis transeuntis, et asserere omnem actionem esse immanentem. Tum quia videmus experientia infinitas actiones transeuntes, tum quia præcise substantiæ infinitæ, quæ in omnibus agens immanentem inducitur ad adversario, repugnat omnis evolutio immanens vel actio, cujus terminus in eodem subjecto recipiatur. Atqui absurdum hujusmodi continetur aut necessario supponitur in systemate Spinoziano. Secus enim, si dari potest actio transiens, necessario etiam dari possunt plures substantiæ: siquidem terminus actionis illius transeuntis, aut est substantia, et tunc habemus intentum; aut est accidens, et tunc necessario recipi debet in alia substantia ab agente ipso diversa.

4.^o Manifeste absurdum est, dicere duas substantias «diversa attributa habentes nihil inter se commune» habere, ut asseritur in propositione 2.^a Spinozæ. Quid enim vetat in primis duas substantias attributis partim diversis, partim logicè communibus constare, ut constant plura individua

et plura
manifeste
absurda continet.

eiusdem speciei, et plures species in eodem genere convenientes? Deinde etiamsi una substantia in se sit, nimirum non in alio tamquam subjecto, et concipi in se possit per suas proprias notas sine recurso ad notas essentielles vel attributa alterius; nonne adhuc potest aliquo vinculo communi alicujus relationis cum illo connecti? Sic horologium ab artifice fabricatum, in se quidem est ac per se concipi potest, habet tamen relationem dependentiæ, ideoque aliquid commune cum artifice.

5.^o Manifeste absurdum est, ad naturam substantiæ pertinere existentiam, et unam substantiam non posse produci ab alia (1): ut constat experientia et ratione, nec exponi fusi-
us nunc oportet.

6.^o Absurda est Spinoziana notio *finiti* et *infiniti*. Finita enim res dicitur esse, quæ alia eiusdem naturæ terminari potest, unde e converso illa erit infinita, quæ alia re eiusdem naturæ non terminatur. Atqui ex hoc absurdum illud sequitur, omnem rationem universalem, sive specificam, sive genericam, infinitam esse.

7.^o Manifeste absurdum est ponere fatalismum et negationem providentiæ ac libertatis divini in agendo.

8.^o Est manifeste contradictorium ponere substantiam infinitam, quæ se perpetuo evolvat perpetuisque modificationibus afficiat. Nam si infinita est in perfectione, actus purus est et mutationis incapax; si vero evolvitur, mutatur, et a potentia transit ad actum. Itemque si infinita est, nec perfici, nec deterior fieri potest; perficitur autem, aut deterior fit, si modificationibus perpetuis afficitur.

9.^o Manifeste contradictorium est unam eandemque substantiam simplicem et indivisibilem attributo extensionis gaudere, siquidem extensio essentialiter supponit partes, et simplicitas atque indivisibilitas easdem excludit.

10.^o Manifeste contradictorium est, eandem substantiam esse simul sanctissimam et peccatricem, beatam et ærumnis plenam, immutabilem et perpetuis evolutionibus immanentibus obnoxiam. Atqui talis est substantia divina in Spinoziano systemate. Sancta namque est, immutabilis ac beatissima

(1) Spinoza, loc. cit., prop. 7.

ratione infinitæ perfectionis; peccatrix vero et ærumnis plena foret et mutabilis, si quidquid accidit in rerum natura, esset affectio illius unicæ substantiæ; videlicet omnia scelera, quæ ab hominibus committuntur, omnes morbi, dolores et miseriæ, quibus affligitur vita nostra, revera ad Deum pertinerent. Quo quid indignius concipi potest?

ARTICULUS IV.

Expugnatur idealis Pantheismus.

48. PROPOSITIO. Pantheismus idealis tum arbitrarius est in suis dogmatis, tum gradum supremum attingit delirii, absurditatis impietatisque.

Prima pars. Nam in primis arbitrarie prorsus statuitur nulloque argumento probatur, unum aliquod absolutum et indeterminatum ens substerni omnibus cogitationibus nostris unumque illud esse subjectum omnium phenomenorum ac multiplicium manifestationum (1).

Deinde arbitrarie iterum supponitur ordinem idealem unum esse cum reali, seu non aliud esse dari in rebus, nisi esse ideale: quod principium logice ducit ad universalem scepticismum, immo ad perfectissimum nihilismum.

Item arbitrarie asseritur primum principium omnis entitatis esse ens absolutum atque indeterminatissimum et impersonale: itemque omnem aliam entitatem non esse nisi progressivam illius esse absoluti evolutionem, secundum diversas positiones ac momenta. Nam esse huiusmodi solum in mente nostra dari potest, re autem vera chimericum est. Nihil enim existit nisi individuum. Omne autem individuum in seipso plene determinatum est, nempe *hoc aliquid*, ut veteres, experientia et sensu communi comprobante, dicebant.

Arbitrarie et sine ulla fundamento asseritur absolutum illud et indeterminatum esse secundum Fichte *tò Ego* purum,

(1) Cfr. Balmes, *Filos. fundam.* lib. 1, cap. 7, n. 79; *Histor. de la Filos.* paragr. LVI.

Pantheismus
idealis
arbitrarius est.

seu transcendens omnem experientiam, nempe indeterminatum cognoscendi actum, qui a subjecto et objecto præscindat; vel identitatem absolutam aut indifferentiam differentium, secundum Schelling; vel *Ideam-Ens*, aut *voluntatem* aut *Ens-inconscium*, secundum Hegel, Schopenhauer et Hartmann.

Præterea gratis asseritur nec docetur, cur aut qua necessitate $\tau\delta$ *Ego* se limitet alia cogitando, et quare aut qua necessitate Absolutum se evolvat, ac multiplicet, sibi que illudat perpetuo tamquam objecta distincta et realia sibi proponens ea, quæ pure phænomena sunt, nec ab ipso $\tau\phi$ *Ego* vel Absoluto distinguuntur: item cur absolutum se ipsum evolvendo et explicando finiatur, cum e converso quævis res explicatione et evolutione potius perficiatur. Hæc et alia permuta, quibus scaturit Pantheismus idealis, gratis asserita, simpliciter negentur, donec ab istis sofisticioribus idoneo aliquo argumento fulciantur; et ruet totum systema cum suo intolerabili dogmatismo, et Luciferina superbia atque impietate.

Secunda pars. Nam in primis quid magis absurdum ac delirii plenum, quam hæc ipsa, quæ modo notata sunt? Enimvero, ut alia nunc omittam, si illud est amentie signum præcipuum, loqui et sentire contra communem sensum reliquorum hominum, quid, queso, dicendum est de istis dogmatibus pantheistarum transcendentalium, quæ contra se habent non solum universalem persuasionem generis humani, sed ipsam naturæ ineluctabilem vocem atque inclinationem, qua iidem pertrahuntur ad destruendum factis idipsum, quod voce et scriptis profitentur? Quid magis delirium, impium et absurdum, quam Deum, totam naturam, historiam, humanitatem destruere? Sed alia quoque singillatim absurda et blasphema indicanda sunt.

1.^o Evolutio idealis elevat ad summum gradum delirium et absurditatem Idealismi. Si enim vulgaris Idealismus tanta insaniam laborat, quid dicendum est de universali ac transcendentali Idealismo?

2.^o Pantheismus Idealis aperte proficitur identitatem contradictoriorum: Fichte nempe posuit $\tau\delta$ *Ego* et $\tau\delta$ *non Ego*, producens et productum, esse unum et idem: Schelling

asseruit essentiam Absoluti esse indifferentiam differentium seu identitatem universalem oppositorum, finiti et infiniti, subjecti et objecti, spiritus et corporis etc. Hegel vero contendit *Ideam-Ens* esse simul ens et nihil, ideoque principium contradictionis falsum esse, et in locum ejusdem substituentium esse principium identitatis contrapositionis.

3.^o Pantheismus idealis aperte contradicit principio causalitatis: Fichte nempe docuit totidem verbis $\tau\delta$ *Ego* ponere seipsum, et in tantum esse, in quantum ponit seipsum. Schelling vero et Hegel voluerunt Absolutum illud et indeterminatissimum *esse* omnia gignere, omniumque causam esse. In quo eo progressa est temeritas Hegelii, ut mirandum esse dixerit, cur adhuc homines existiment ex nihilo (intellige ex nulla causa etiam efficiente) nihil fieri, et nihil reale venire in *esse* posse, nisi aliquid reale supponatur, cum e converso, sic ille, omnia procedant ex nihilo et *non esse* (1).

4.^o Deum chimæricum inducit Pantheismus idealis. Nam secundum Fichte $\tau\delta$ *Ego* est Deus; secundum Schelling vero et Hegel, Deus est illud *esse* absolutum et indeterminatum, quod est ipsum ens abstractum et communissimum, nempe pura notio intellectus nostri, eaque omnium imperfectissima; at secundum omnes pantheistas transcendentales est Deus impersonalis, qui est in perpetuo *fieri*, et perpetuo se explicat, donec in homine conscientiam acquirat. Qua doctrina nihil potest excogitari magis alienum a christiana veraque notione Dei, secundum quam Deus est actus purissimus exspers omnis potentialitatis.

5.^o Confusio ordinis idealis et realis inducit perfectum egoismum et nihilismum. Egoismum, quia si duplex ille ordo idem est, nihil est nisi quod cognoscitur, et quamdiu cognoscitur, et ubi cognoscitur, nimirum omnia sunt in me cognoscente. Hinc vero sequitur omnia officia hominis erga alios, omnes virtutes et vitia, quæ alios respiciunt, societatem universam generis humani, non esse nisi vana vocabula vel vanas illusiones. Nihilismum autem inducit confusio illa utriusque ordinis: quia si nihil est, nisi quatenus cognoscitur; ergo

(1) Vide Card. Gonzalez, *Histor.* tom. 4. parag. 12.

me dormiente nihilve cogitante, nihil est. Quod si supponamus aliquando nihil fuisse, nunquam quidpiam esse potest, si verum est principium causalitatis, immo et contradictionis. Hinc nihil mirum, si Fichte hæc verba potuit scribere: «Nulla prorsus est res, ego ipse non sum.... Circa me realitas conversa est in inconditum somnium, quin vita ulla realis ad somniamdum detur, aut spiritus, qui somniet, aut somnium, in quo somnium ipsum somniemur. Et sane huiusmodi somnium esset cogitatio. Sed cogitatio, cogitatio ipsa, quam ego ut meam nobilissimam proprietatem considerabam, et tamquam scopum vitæ meæ, in quo fontem reperirem totius realitatis; cogitatio quoque huius somnii est somnium» (1).

6.^o Pantheismus idealis statuit ens quoddam prorsus chimericum et contradictorium, quod deinde se evolvit. Quid enim magis chimericum et contradictorium, quam *τὸ Ego* transcendente, quod sibi ipsi tribuit existentiam? Quid magis chimericum et contradictorium, quam ens indeterminatum, quod simul est ens et nihil, quod nec est finitum nec infinitum, nec subjectum nec objectum, nec spiritus nec corpus? Datur utique notio quædam entis indeterminata et abstracta, quæ *præcendit* in sui consideratione ab omnibus determinationibus ac differentis modisve sive finiti sive infiniti, sive spiritus sive corporis, sive substantiæ sive accidentis ac reliquorum essendi modorum. Verum huiusmodi notio solum existit in mentis contemplatione, nec proinde realis esse valet in illa abstractione atque indeterminatione. Nam sicut ex principio contradictionis nihil potest simul esse finitum et infinitum, spiritus et corpus etc.; ita ex principio exclusi mediū quidquid est aut esse potest, *in seipso* finitum aut infinitum, spiritus aut corpus etc. sit, oportet. Unde iterum ex hoc capite in perfectissimum nihilismum incidit idealis Pantheismus.

7.^o Admissa evolutione pure ideali, necessario dicendum est, ens absolutum, quod infinitum ponitur, et principium rerum omnium dicitur esse, revera ens omnium possibilem

(1) Fichte, par *Destination de l'homme*, traduit de l'allemande par Barchon de Penhoen.

imperfectissimum esse. Nam certum est per pure idealem evolutionem, per hoc nimirum quod res aliqua cognoscatur, nihil ei perfectionis accrescere. Ergo illud absolutum vel habet in primo sui momento ac positione omnes illas determinationes ac perfectiones, quas postea explicat in sui evolutione, vel non. Si habet, falso dicitur esse indeterminatum et summe indifferens. Si autem non habet, nihil eo imperfectius aut esse aut cogitari potest. Hinc etiam absurde dicitur ens ejusmodi sese evolvendo, et explicando omnem prorsus perfectionem causare: quod enim nullam in se continet perfectionem, utcumque se evolvat, quomodo poterit explicare vel manifestare perfectionem, nisi aliunde accipiat?

8.^o Tandem Pantheismus idealis indignis sophismatis scattet, quorum pauca quædam indicanda sunt. Fons omnium sophismatum est ordinis idealis ac realis confusio, et perpetuus transitus ab uno in alium. Hinc enim meris mentis abstractionibus tribuitur realitas, et *cognoscere idem* sonat apud hos rationis et sensus communis corruptores, ac *producere*, et *esse ac cognosci*. Hinc etiam statuitur universale per se subsistens, ens nempe absolutum et indeterminatum: Confunditur infinitum cum indefinito atque indeterminato. Argumenta denique non raro afferuntur, potissimum ab Hegele puerilibus æquivocationibus et etymologiis vocum innixa. Speciminis instar vide, quomodo probet Hegel suum principium fundamentale de *identitate contrapositionis*.

«Primo: *Aliquid et aliud* existunt, utrumque. Ergo utrumque sunt *aliquid*».

«Secundo: unumquodque duorum est simul *Aliud*: parum refert, utrum ex duobus appelletur primo *aliquid*. Latini, quando in una propositione unum et alterum afferuntur, vocant utrumque *aliud*, ac dicunt: *alius alium, alter alterum*. Si nos appellemus certum quoddam Ens *A*, et aliud Ens *B*: hoc *B* primo determinatur ut aliud; sed *A* est et ipsum eodem tempore aliud respectu *B*. Ergo utrumque sunt eodem titulo *Aliud*. Ergo utrumque, sive quatenus sunt *aliquid*, sive quatenus sunt *Aliud*, sunt semper *Idem*» (1).

(1) Hegel, *Logic*. t. 1, 2.^a edit., pag. 116 apud Tongiorgi, *Theol.* n. 134.

Quod vero non rarum est in historia populorum videre superbiam tumentes eos ipsos, qui dedecori et infamiae fuerunt toti generi humano; Fichte ingenio suo præfidens, quidquid reliqui ante ipsum sapientes docuerant, evertendum sibi esse decrevit; Schelling vero scriptum reliquit, eos qui propter impotentiam abstrahendi, nequeunt habere intuitionem intellectualem, non esse aptos ad philosophandum, cum illa intuitio habenda sit universale organum Philosophiæ (1). Hegel denique Dei et hominum, religionum, scientiarum, artium, historiæ ac totius humani generis se iudicem constituit, ut omnibus pro libitu suo legem ferret, cæteris se superiorem arbitrans, indigneque patiens, si quis in eum tributum admirationis conferre gravaretur (2). Verum nimis jam de hominibus, quorum pudenda impiaque deliria satius foret æterna oblivione deleri.

Nihil de Schopenhauero, nihil de Hartmann, Cousino, Krause aliisque dicimus speciatim, quia ex dictis patet, quid de ipsorum somniis sentiendum sit.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

49. *Objic. 1.^o* Esse nequit realiter multiplicari. Ergo multiplicitas omnis apparens in natura explicanda est per idealem evolutionem ac phenomenales determinaciones, quibus unicum esse in mundo existens sese varie limitat.

Prob. ant. Eatenus concipi posset $\tau\theta$ esse realiter multiplicari, quatenus accipere posset in diversis entibus diversas determinaciones ac modos essendi. Atqui impossibile est $\tau\theta$ esse realiter multiplicari per diversas determinaciones modosve. Nam hujusmodi determinaciones vel adjungunt aliquid positivum superveniens $\tau\phi$ esse, vel aliquid negativum. Sed nequeunt adjungere aliquid positivum, quia tunc determinaciones illæ positivæ diversæ forent ab ente, nihil autem est positivæ determinacionis, quod non sit ens vel esse aliquid. Neque etiam adjungunt aliquid negativum, quod

(1) Schelling, *System des transcendentalen Idealismus*, Einleitung, par. 4, apud cl. P. de San. *Cosmol.* n. 20.

(2) Vide Balmes, *Historia*, n. LVIII: *Cartas á un escéptico*, carta 9, vers. fin.

reale sit, nam istud negativum deberet esse aliquid non ens, repugnat autem dari realitatem, quæ non sit ens (1).

Resp. neg. ant. Ad probationem. *conc.* Major., *neg.* Minor., ad cujus probationem *concedo* Major., eligendo primum membrum.

Minorem *distinguo* quoad primum membrum. Si quid positivi adderent determinaciones et modi essendi, forent diversi ab ente, diversitate ac distinctione mutua, *neg.*, diversitate ac distinctione non mutua, *conc.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Difficultas hæc præoccupata est in *Ontologia*, cum conceptus entis enucleatus est. Ibi enim diximus ex Angelici doctrina ens communissimum præscindere ab omnibus modis ac determinationibus essendi, et in hoc sensu ens contrahitur, et multiplicatur in inferioribus per aliquam additionem; sed quoniam determinaciones istæ sunt etiam essentialiter ens, nihil addunt enti per modum extraneæ naturæ, sicut differentia addunt generi. Et ideo inter ens ac modos entis datur distinctio non mutua, quia ens non identificatur cum modis essendi, utpote quod præscindit ab eis; modi vero essendi identificatur cum ente, cum sint essentialiter ens. Unum tamen probe nota, ens vel esse, quod nullam habeat determinationem aut modum essendi, nullibi realiter existere, sed tantum in intellectu, qui id quod commune omnibus est, deque omnibus prædicatur essentialiter, abstrahit, et idealiter exprimit conceptu præcisivo.

Objic. 2.^o Principium illud idealis Pantheismi, secundum quod ordo idealis idem est cum reali verissimum est, et communi calculo receptum a Scholasticis quoad rem ipsam. Nam ex doctrina veterum, α) *cognitum est in cognoscente*, et β) *cognoscens per cognitionem dicitur unum et idem fieri cum cognito*. Atqui hoc est præcisæ, quod contendunt pantheistæ transcendentales.

Resp. neg. prorsus assertum. Ad probationem *dist.* Major. per partes: α) *Cognitum est in cognoscente realiter* ita, ut præter cognoscens nihil sit reale, ad quod cognitio terminetur, *neg.*; *intentionaliter*, quatenus cognoscens afficitur

(1) Cfr. De San. *Cosmol.*, n. 46.

similitudine rei cognita, habens in se representationem illius, *conc. Distig.* item β). Cognoscens dicitur unum et idem fieri realiter cum re cognita, *neg.*; intentionaliter, ad eum modum, quo statua Cæsaris dicitur Cæsar, *conc.* Tum *neg.* Minor. et conseq. Si enim hoc solum contenderent pantheistæ non profiterentur deliria idealismi et identitatis universalis.

Objic. 3.^o Nisi omnia ponantur intra mentem per identitatem subjecti et objecti, explicari nequit, quomodo res cognoscantur. Nam si res cognoscendæ ponantur extra animum tamquam aliquid ab ipso distinctum, deberet animus ad illas *apprehendendas* cognoscendasque extra semetipsum egredi. Hoc autem impossibile esse quis non videat? «Ita olim Plotinus (1), eoque duce cæteri Neoplatonici; nostra vero ætate Transcendentales Germanici, maxime Schellingius», ut scribit P. Ludovicus de San (2).

Resp. *neg.* assertum. Ad probationem. *dist.* Major. Deberet extra semetipsum egredi, nisi haberet illas in se quodammodo intentionaliter, per speciem impressam, *trans.*; si habet illas intentionaliter per speciem impressam, *neg.*

Trans. Minor. et *neg.* conseq.

(1) Cfr. Plotin. *Ennead.* V, lib. III, cap. 5; lib. V, cap. 1 et 2 lib. VIII, cap. 11; et *Ennead.* VI, lib. V, cap. 7.

(2) De San, loc. cit., n. 50.

«Huc pertinet, pergit clarus auctor (ibid. in nota), extasis illa sive raptus mentis extra se, qui est actus, quo in indistincta unitate subjecti, principium simpliciter primum summeque unum τὸ ἐν αὐτῷ Neoplatonici ponunt apprehendi. In extasi, ut perhibent, omnis conscientia sui aboletur, propterea quod in ea mens, evadendo impersonalis, liberatur ab omni determinatione, eam a suo objecto distinguente. Unde consequenter asserunt viam, qua pervenitur ad extasin, esse simplificationem. ἁπλοῦσι, nempe gradusalem quamdam abstractionem ab omnibus determinationibus discretivis sive subjecti ab objecto, sive variorum objectorum a se invicem. Porro ab extasi illa Neoplatonicorum nonnisi nomine differt *intuitus intellectualis*, qua Schellingius ponit absolutum cognosci. Pronuntiat nempe et ipse intuitionem illam Absoluti sub conscientiam non cadere, ad eandemque ope abstractionis perveniri, uti supra in expositione ejus systematis dictum est. Itidem Schellingio, sicuti Neoplatonicis, pars illa superior mentis, cujus est intuitionem exercere, est identice ipsismet Absolutum; propterea enim *absolutum identitatem* ipse etiam vocat *absolutam rationem*».

Unum enim ex muneribus speciei impressæ, quemadmodum explicabimus suo loco, est conjungere rem cognoscendam cum cognoscente, vel rem extraneam *apprehendere* ac trahere *intentionaliter* ad animam.

Objic. 4.^o Subjectum et objectum relative opponuntur ad invicem. Ergo sunt duæ oppositæ formæ unius ejusdemque esse absoluti, quod est absoluta identitas utriusque.

Prob. conseq. ex relativorum notissima proprietate, Relativa enim simul esse dicuntur et natura et cognitione, ut nempe neutrum eorum sine altero sive concipi sive esse queat. Atqui eorum quæ hoc modo se invicem habent, unumquodque intrinsece *limitat alterum*, seu quod eodem recidit «ea sunt oppositæ formæ fundi alicujus identici, cujus realitatem, sese invicem limitando, quadantenus inter se divisam habent». Ergo... (1)

Resp. *trans.* ant., *neg.* conseq. Ad probationem. *dist.* Major. Relativa materialiter considerata et in quacumque hypothesi, *neg.*; formaliter considerata, seu quatenus actu relationem habentia, *conc.*

Tum *neg.* Minor. et conseq.

In primis subjectum et objectum nec *essentialiter*, nec *mutuo* ad se invicem referuntur. Non essentialiter, quia ratio fundans relationem inter subjectum et objectum non est ipsa eorum essentia, sed tantum *cognitio*, residens in subjecto illius. Deinde non est mutua, quia licet subjectum ratione cognitionis realiter referatur ad objectum; non tamen e converso objectum realiter ad subjectum referatur, sed solum ratione. Cujus rei hæc causa est, quia inter cognoscens et cognoscibile intercedit ordo et relatio commensurationis unius ad alterum. Atqui cognitio quidem mensuratur a cognoscibili, non autem e converso, cognoscibile a cognitione.

Verum hisce nunc omissis, relativa dicuntur simul natura et cognitione, non quatenus utrumque sit in eadem natura et communi subjecto, nec etiam quatenus alterum utrumque consideratum nequeat existentiam habere cognoscive, altero

(1) En unum ex Schellingii argumentis apud P. De San, loc. cit. n. 55.

non existente et non cognitio. Videmus enim passim unum eorum, inter quæ viget relatio, existere altero non existente, prius nimirum quam inciperet vigere relatio. Sic pater et filius relative opponuntur et nihilominus pater etiam existerat ante filium: et similiter tum pater tum filius cognosci possunt etiam singillatim ac seorsim secundum absolutam entitatem eorum. Solum ergo relativa dicuntur simul natura et cognitione, formaliter inspecta, quia unum eorum nequit esse cum *actuali* sua relatione, nisi et alterum adsit; nec unum cognoscitur prout relationem habens, nisi et alterum intelligatur. Etenim pater prout talis neque est, nec intelligitur, nisi cum filio. Deinde autem falsum prorsus est relativa se invicem limitare, aut ita se habere, ut alterum alterius perfectione careat. Primo quia facile intelligitur, ad hoc ut oppositio, sive relativa sive alia quævis, vigeat inter duo, satis esse ut unum dumtaxat careat perfectione alterius, licet hoc illius perfectionem habeat, ut manifeste patet potissimum in oppositione contradictoria et privativa, et in relationibus majoris et minoris, causæ et effectus. Secundo quia pantheistarum assertum evidenter absurdum deprehenditur in multis relationibus, v. g. in illis, quæ fundantur in similitudine et æqualitate, ideoque supponunt in utroque extremo communiter eandem perfectionem inesse. Quamobrem in hoc differt relativa oppositio a cæteris, quod in iis unum extremorum privationem aliquam perfectionis alterius contineat, relatio vero id non necessario postulat. Atque ideo in divinis, licet nequeat alia esse oppositio, adest tamen relativa cum perfectissima æqualitate personarum, quemadmodum docet Fides (1).

Objic. 5.^o Identitas absoluta rerum omnium necessario admittenda est, «tum α) ex eo, quod nonnisi supposita absoluta identitate subjecti et objecti, possibile fit explicare conformitatem cognitionis cum objecto (2); tum β) ex eo, quod subjectum et objectum, utpote inter se relative opposita, nequeunt esse posita nisi in uno eodemque (3); tum γ) ex

(1) Vide S. Thom. (*de Potent.*, quest. 8, art. 1, ad 17). Cfr. P. de San (loc. cit., n. 53, in respons. ad difficult.)

(2) *System. des transcendentalen Idealismus*, Einleitung, parag. 1.

(3) Giordan. Bruno, pag. 39.

eo, quod philosophia naturæ ultimato resolvitur in philosophiam mentis, ac vicissim philosophia mentis ultimato resolvitur in philosophiam naturæ, propterea quod in utriusque scientiæ exitu leges naturæ et leges mentis deprehenduntur esse identicæ» (1).

Resp. *negando* omnia.

Objic. 6.^o Principium contradictionis merito tamquam falsum ab Hegel repudiatur. Tantum enim abest, ut contradictio vitari debeat in rebus, ut potius admittenda sit tamquam ultima explicatio rerum et fundamentum scientiæ. «Nam 1.^o nihil est neque in cælo neque in terra, quod non contradictionibus constet. Et sane finitum, hoc ipso quod finitum est, constat ex *esse* et *non esse*. Unde cum reductio finitorum ad infinitum fieri debeat, hoc nequit non esse nisi maxima contradictio, ita ut in ipso confundantur *esse* purum et *nihil* purum. 2.^o *Esse* abstractissime inspectum, est maxime indeterminatum. Sed *non esse* est maxime indeterminatum. Ergo *esse* confunditur cum *non esse* 3.^o Idem sequitur ex differentia, quæ cogitur inter utrumque. Nam quæ differunt, reducuntur ad aliquid commune, quo utrumque contineatur. Ergo *esse* et *non esse*, hoc ipso quod differunt, reduci debent ad aliquid, quod abstractiori modo sit simul *esse* et *non esse*. Hoc aliquid est *fieri* absolute sumptum» (2).

Resp. Videte acumen hominis, quem quidam non dubitant *Aristotelem Pantheismi* appellare. Aristoteles certe nunquam tam putida sophismata pro veris argumentis venditavit.

Neg. assertum. Ad 1.^{am} probationem. *neg.* suppositum, videlicet quod contradictio consistat in quolibet *esse* cum carentia cujuslibet alterius *esse*; contradictio enim sita est in affirmatione ac negatione simultanea unius ejusdemque *esse*, ac proinde in *esse* et negatione simultanea illius ejusdem *esse*. Jam vero nullum ens finitum reale constat *esse* aliquo et simultanea carentia illius ejusdem *esse*, sed alterius diversis, quia sic continet certam aliquam perfectionem, ut careat ulteriori. Et quia infinitum claudit in se omnem perfectionem,

(1) *System des transcendentalen Idealismus*, Einleitung, parag. 1-4, apud P. De San loc. cit., n. 20, 4.^o

(2) Apud cl. Liberatore, *Cosmolog.*, n. 30, Objicies IV.